

## DUCATUS PARMENSIS.

Pascua ad Urbem optima; ex quibus magna Lactis, Butyri, Caseique copia. *Forum-Livij*, hodie *Fovis*. Vrbis natura & situ, rerumque omnium ubertate præstans inter duos Amnes Roncum & Montonum sita; Aere fruens optimo. *Forum Cornelij* vulgo *Imola*. Sita est ad Santernum Amnem, Agro frumentario, Vini, Olei, aliarumque Frugum ferace. *Bononia* nobilis & antiqua Civitas, *Bologna* vulgo: Apennini radicibus adposita, ad Amnem Rhenum, Apofa torrente mediam urbem interluente: tota Orienti exposita: qua Auster est, Montes imminent vetiferi, qua reliquæ partes, agri patent longe lateque, omnis generis Frugum feraces. Cælum illi non admodum salubre. Circuitus  $\text{vii}$  milliarium; olim multo minor. Portas habet  $\text{xii}$ . Potens est nobilitate, ædibus magnifica, porticibus frequens. Academiam instituit Theodosius Imperator, anno  $\text{ccccxxi}$ . Nunc *Ferrariam* videamus: cui unde nomen datum valde variatur. Veritati maxime consentaneum, *Ferrariam* nuncupatam ab *Ferraride*, quæ trans Padum erat, Colonis huc ex Theodosii Imperatoris decreto translatis anno  $\text{ccccxxi}$ : quo tempore Vicus fuit absque muris ab Smaragdo Exarcho circa annum  $\text{ioxcv}$  fossa mœnibusque septus; paullatimque ita auctus, ut tandem in nobilissimam Civitatem commutatus fuerit: Vetere Præsulatu ab Vitaliano, P M, huc circa annum  $\text{ioclvii}$  traducto, aliisque  $\text{xii}$  Pagis finitimis illi subjectis ab Constante  $\text{ii}$  Imp. qui multa ipsi largitus est Privilegia. Hodie *Ferrara* audit. Adsidet ripæ Padi amnis, quo qua Ortum Austrumque respicit, adluitur. Cælum ipsi crassius, ob situm palustrem. Plateas habet rectas, longas, amplas quarum plerasque Leonellus Marchio coctis stravit lateribus. Ædificiis cum publicis, licet non magnis: tum privatis supra modum est ornata, Maximum est Urbis Fanum, Arx illi duplex, una ad flu. altera è Regione S. Georgii, Ducis Sedes: utraque satis munita. Populo frequens, rebus ad vitam necessariis abundat. Non inamœna inter primas Italiæ Urbes merito censenda: Caput Sedesque Ducatus Arestinæ familiæ, nobilitatis & antiquitatis stupendæ, Academiam hic instituit Fridericus  $\text{ii}$ . Imperator in Bononiensium contumeliam. Planiciem habet circa se maximam sed sterilem. Reliquas Romandiolæ urbes, & minorum gentium Opida prætereo.

## Ducatus Parmensis.

Regio est unde dicta.  
Soli fertilit. R.  
Imperium maiorum.

**D**ucatus Parmensis a Civitate Parma nomen habet. Ager amœnus est, & Frugum Vitiumque optimarum fertilis, aquis medicatis pascuisque lactissimis felix: cuius Caseus & Vellera summam merentur commendationem. Civitas unde Ducatus iste nomen accepit *Parma* ab *Thuscis*, ut multæ his locis aliarum, condita, a Boiis inde possessa, lapsu temporis Romanos habuit Dominos: qui anno  $\text{ioclxx}$ , quo tempore Mutinam, eo Coloniam, ut Livius tradit lib.  $\text{xxix}$ , duxerunt Calamitatem ab L. Antonio inlatam deplorat M. Tul. Philip. ultima. Conlapsa, autoritate Romani nominis libera cum aliis cœpit esse: Sequuta nunc Cæsares, nunc Pontif. Rom. Bononiensibus semper amica & conjuncta. Gravem passa est totum biennium obsidionem ab Friderico II, Imp. circa annum  $\text{cicccxlvii}$ . quod partium esset Pontificiarum.